Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1231
Quelle:
Copyright:

III. Sententiarum, quorum prior incipit: *Creacionem rerum insinuans scriptura* &c. *Liber 2ᵘˢ in quo determinat magister de rerum creacione* &c. Alter *fol.* 122. *Cum venit igitur plenitudo temporis. liber 3ᵘˢ postquam in precedentibus libris determinauit magister de rebus diuinis et creatis* &c. Ad calcem annus 1419. Thecam anticam convestit Fragmentum *Ruth* a C. IV. v. 4. 18. posticam *Cantici Cant.* a C. VI. v. 6. C. VIII. v. 4. hebraice cum punctis luculente in membrana per columnas 2. exaratum. Ita putamen nuce potius.

DXXXVIII.

U. 107 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 355. 4. non una manu, calamo currente perscriptus continet: I. Praelectiones in *Petri Lombardi Librum II. Sententiarum* hoc initio: *Creationem rerum insinuans scriptura. Liber secundus in quo determinat Magister de rerum creatione* &c. In theca anteriore movetur Quaestio, an *Petrus Lombardus* possit dici *Autor*, e qua sequentia lubet eruere: *Sciendum, quod quadruplex est modus faciendi librum. Aliquis enim scribit aliena nihil addendo uel mutando, et iste dicitur* Scriptor. *Aliquis scribit aliena addendo, sed non de suo, et iste dicitur* Compilator. *Aliquis dicit aliena et sua, sed aliena tanquam principalia, et sua tanquam annexa ad euidenciam, et iste dicitur* Commentator. *Aliquis scribit et sua et aliena, sed sua tanquam principalia, aliena tanquam annexa ad confirmacionem, et talis debet dici* Autor. In margine *fol.* 67. p. 2. legas: *Anno* (14)36. *feria tercia post blasij dominus bas.* (ilienfis) *legatus Joh. Polemar audiuit presentem* (26) *distinctionem a me.* Vir hic priori *Vol.* non semel a me adpellatus aderat hoc anno *Basilea* redux et visitatione Universitatis cum *Philiberto* Ep. *Constant. Nicolao S. Dorotheae* Praeposito, et M. *Narcisso Herz de Perchingen* occupatus, ut tradit *Ederi Catal. Rector.* et *Conspectus Hist. Univ.* ad *h. a. Fol.* 124. habetur: *Anno MCCCC36. feria sexta ante Ramispalmarum operis huius 2ⁱ legendo conclusi continentiam.*

II. *fol.* 134. sequuntur Praelectiones in *Librum* III. cum Nota: *Incepi legere 3ᵐ sententiarum immediate post octauas pasce Anno* 36. et Initio: *Cum venit igitur plenitudo temporis. Iste est liber tercius sentenciarum in quo postquam in precedentibus libris* &c. Ad calcem primum haec leguntur: *Explicit scribendo pariter et legendo in profesto sancti Nicolai* &c. tum texitur Narratio ingruentis pestis, quae hoc anno ante Festum Assumtionis B. V. vel 70. funera jam uno die abstulit, atque inter Academiae membra deinceps *Petrum Reicher de Pirchenwart* Seniorem regentem ducalis Collegii et Theol. Prof. *Cunradum Heribst* O. P. Theol. Doct. *Urbanum de Mellico*, cujus obitum